

1125 11430
Orationes 240993

SYLVERSTAINIANAS

die XIX. Jun. MDCCCXXXIX.

hora IX. antemeridiana

in Gymnasii auditorio primae classis habendas

indicit

Carolus Theophilus Anton,

Phil. Doct. et Artium liberal. Mag., Theol. Baccal., Professor regius, Gymnas. Rect. et soc. lat.
Jenens. nec non societ. Lus. lit. sodal. honor. atque in soc. theotisc. Berol. cooptatus.

Comparatur mos recens hieme expulsa aestatem cantu
salutandi cum similibus veterum moribus.

Particula I.

Gorlicii,

ex officina Heinziana.



In enumerandis verbis locutionibusque provincialibus Lusatiae superioris nuper commemoravimus in parte duodecima nostri libelli de iis conscripti pag. 28. 29. 30. morem in nostra urbe usque ad prius seculum extremum servatum, quo aestas adveniens salutabatur, ita quidem, ut sub imagine mortis hiemem forma viri straminei pannosis vestibus lacerisque induti in flumen Nissam dejicerent. Quam quidem rem contemplanti non potest non in mentem venire duplex mos antiquorum temporum, alter veterum Romanorum, qui imagines scirpeas de ponte sacro initio veris in Tiberim projiciebant, alter Graecorum, qui ramum oleae, interdum lauri, filis laneis velatum, cui etiam terrae atque arborum fructus appendi solebant, tanquam signum supplicantium (*ἰκετηρία* vel *ἰκετήριον*, *ἰκτῆριον κλάδον* Sophocl. Oed. tyr. 3.) et stipem rogantium, (*εἰρησιώνη*) inprimis initio veris, circumgestabant, dum pueri puellaeque portantes et mendicantes carmina accantabant; quos quidem ritus cum more Germanorum et Slavorum simillimo hac scribendi occasione oblata breviter comparare nobis in animo est.

Sicut nostri majores Tacito auctore (de moribus Germ. cap. 26.) tria tantum tempora distinguebant, hiemem, ver et aestatem, quorum habebant intellectum ac vocabula, auctumni perinde nomen ac bona ignorabant: ita slavicae gentes duo tantum annorum tempora noverunt, ver aestati, auctunnum hiemi annumerantes, adeoque aestatem, a qua annum ordiebantur, eodem vocabulo appellant, quo annum ipsum, *Ljeto* (vid. nostri libelli laudati part. XII. pag. 29.). Hiemem nominant

simā, frigus, et quum veris atque auctumni tempus accuratius definiendum est, prius podleti, sub aestate, posterius podsim, sub hieme, tempus aestate et hieme inferius, nisi forte ex podlaeto, podlasima, juxta aestatem, juxta hiemem, contractum est. In Lusatia nostra dicitur ver-naleto, ad aestatem ducens, auctumnus nasima, ad hiemem ducens, auf den Sommer, Winter zu. Auctumnus etiam predsima nuncupatur, i. e. ante hiemem. Aestatem advenientem solemnī ritu excipere, (den Sumer empfāhen, die Zit empfāhen), Majum salutare jam antiquo tempore moris erat apud Germanos teste Jacobo Grimmio (cfr. ejus: Deutsche Mythologie, Gotting. 1835. pag. 438.). Primam qui vidit violam, hoc indicavit, concurrat totus pagus et saltantes celebrabant primum florem sub initio veris repertum. Non minus salutabant et solemnī ritu excipiebant primam hirundinem, primam ciconiam¹⁾, quippe quae aves nuntii habebantur adventantis aestatis. Neque hoc a natura humana alienum esse videtur. Nam quanto afficiamur gaudio, quanta animi hilaritate, quum aestatis advenientis amoenitatem sensu percipimus, nemo est, qui non expertus sit.

Est vero festi germanici et slavici, quod cum moribus veterum comparaturi sumus, haec fere ratio²⁾: Solebant et solent forsā in

¹⁾ Initio seculi duodevigesimi in nonnullis regionibus Germaniae mos erat, ut custos turris adventum primae ciconiae tuba annunciaret et pro hac re munusculum acciperet. Vid. ephemer. de Germania Germaniae scriptas, (Journ. von und für Deutschl.) anni 1784, I. p. 423. Etiam vultur die Dom. Jubilate Meiningae hoc cantu salutabatur:

Dreimal 'rum! der Geier kömmt!

Dreimal 'rum! der Schnippschnap kömmt!

Cfr. Journ. v. u. f. D. 1788. I. p. 569.

²⁾ Quo brevius deinde libros laudare possimus, praecipuos hic accuratius indicare nobis liceat, ex quibus, quae de hac re dicturi sumus, hausimus. Sunt autem hi: Jo. Dlugossi seu Longini Historiae Polonicae libri XII, Lips. 1711. Matth. de Mechovia Chron. Polon., Cracov. 1521. Mart. Cromer de orig. et reb. gest. Pol. Basil. 1555. Alex. Guagnini (vel, ut aliis visum est, Matth. Ossostevicii Strykowski) Sarmat. Eur. descriptio, Spiraē 1581. et ejusdem Rerum Polon. tomi tres, Francofurti 1584. Matth. Dresserus de festis diebus Christianorum et Ethnicorum,

nonnullis regionibus adhuc, die Domin. Laetare per totam fere Germaniam, Lusatiam, Silesiam, Poloniam³⁾ more consueto probabiliter a Slavis repetendo⁴⁾ hominis effigiem⁵⁾ pannosis vestibibus indutam vulgo e stramine confectam, in nonnullis locis ligneam, in flumen demittere, vel, ut in regionibus ad Rhenum sitis (vid. Journ. v. u. f. D. 1788. II. pag. 29.) et in Bohemia (vid. Anton I. p. 71.), stramineam

Lips. 1590. Paul. Christ. Hilscher de ritu Dominicae Laetare, quem vulgo appellant den Tod austreiben, Lips. 1690. (germanico sermone 1710.) Jo. Christophori Eberlini dissert. de ominosis diebus Dominicis, Jenae 1730. Frischii glossarium theotisco-latinum, Berol. 1741. II. pag. 375. Promptuarium Lusaticum (Lausitz. Magazin) anni 1770. Caroli Gottlob de Anton erste Linien eines Versuchs über der alten Slaven Ursprung, Sitten, Gebräuche, Meinungen und Kenntnisse, Lips. 1783. et 1789. Ephemerides de Germania et Germaniae scriptae (Journal von und für Deutschland) 1784. I. II. 1787. II. 1788. I. II. 1790. I. 1791. II. Krünitzii Encyclopaedia oec. technol. tom. 58. Berol. 1792. Commentarii menstrui Lusatici (Laus. Monatschrift) 1795. II. pag. 346—351. novi Comment. menstr. Lus. 1802. I. pag. 193—202 et 268—272. Gräteri Jdunna et Hermode, Vratislav. 1812. Büschingii literae hebdomadales (wöchentliche Nachrichten) I. Vratislav. 1816. IV. ibid. 1819. Jacobi Grimmii Mythologia teutonica (deutsche Mythologie) Gotting. 1835. cap. XIX. pag. 435—456. et Illgenii Ephemerid. historicae theologiae, nova series II. 1838. pag. 170—184., ubi Krusii de hac re commentatio reperitur. Res etiam tractata est in Jo. Casp. Zeumeri dissertatione de Dominica Laetare, Jenae 1706. et in commentariis menstruis germanicis, 1798. II. p. 58—67.

³⁾ Vid. Journ. v. u. f. D. 1790. I. pag. 313. 314., ubi adeo urbes recensentur, in quibus haec solemnia peragi solita sunt, ex quibus omissum esse Gorlicium, mirum est, quippe in qua urbe, certe in suburbiis, ad finem usque prioris seculi viguit ille mos ita, ut adhuc vivant, qui illius festi participes fuerunt. Commemoratur autem pagus nobis vicinus Königshain, ubi hoc festum celebratum esse diximus in indice alphabet. verborum provincial. XII. pag. 29. Cfr. de Schachmann Beobachtungen über das Gebirge zu Königshain, 1780. pag. 50. Est illa recensio Christiani Henrici Schmid, Gissensis, quo vix alius majore studio, quae ad historiam illius moris pertinent, congescit, et tamen nostram urbem oblitus est.

⁴⁾ vid. ibid. I. p. 312.

⁵⁾ Cygnae erat altero anno senis, altero anus, tertio juvenis, quarto puellae. Figuram femineam puer, masculam puella gestabat, perticae impositam. Vid. Journ. v. u. f. D. 1788. I. pag. 568.

pupam pyra comburere⁶⁾ solemni quadam pompa circumgestatam vel, ut in Polonia factum legimus, traha vectam, interdum pugna inter eos, qui mortem demergunt, et eos, qui hoc impedire conantur, pugmata. Quo facto redeunt ramum portantes viridem vel arborem ovorum testis, versicolore tomento lepidisque aliis rebus, etiam placentis pusillis ornatam et lemniscis redimitam, cui et ipsi nomen aestatis est, quam variis cantilenis prosequuntur simul stipem rogantes. Dat nobis Carolus de Holtei ejusmodi cantilenam Silesiorum: (Schlesische Gedichte pag. 99. 100. 101.)

Dè galdue Schmure giht üm das Haus,
 Dè schiene Fru Wirthèn giht ein und aus;
 Sè is' als wie ein' Tugend
 Ein' Tugend!
 Des Murgens wenn sè fruh úfstiht
 Und ei' dè liebe Kèrche giht,
 Do setzt sè sich nieder an ihren Ohrt
 Und hürt gor fleissig uf Gottes Wohrt.
 Ruthe Rusen, ruthe,
 Blühen uf èm Stengel;
 Der Harr is' schön, der Harr is' schön,
 De Frau is' wie-n-à-Engel.
 Klène Fischel, klène,
 Schwimmen uf èm Teiche;
 Der Harr is' schön, der Harr is' schön,
 De Frau is' wie ànne Leiche;

⁶⁾ In ignem vel aquam projicere solebant etiam veteres quicquid detestabantur tanquam prodigium. Sic Horat. l. od. 26, 1. 2. 3.

tristitiam et metus

Tradam protervis in mare Creticum
 Portare ventis.

Idem l. od. 16, 2. 3. 4.

Quem criminosis cunque voles modum
 Pones Iambis: sive flamma,
 Sive mari libet Hadriano.

Der Harr där hot ànne hùche Mütze,
 À hot sè vull Tukâten sitzen,
 À wird sich wùl bedeuken,
 À wird mèr wùl wàs schenken? ⁷⁾

Francofurti ad Moenum ita canere solebant veris tempore stipem collecturi.

Hawele hawele Lone!

(Sancta sancta Apollonia! cui dies V. Id. Febr. sacer erat.)

Die Fastnacht geht bald one (incipit).
 Unten in dem Hünkelhaus' (in gallinario)
 Hängt ein Korb voll Eier h'raus.

Droben in der Fürste (sub summo tecto)

Hängen die Bratwürste.

Gebt uns von den langen.

Lasst die kurzen hangen.

Glück schlag ins Haus,

Komm nimmermehr heraus.

Violen und die Blumen

Bringen uns den Sommer.

Ri, Ra, Rum!

Der Winter ist bald h'rum!

Der Sommer ist so keck

Und wirft den Winter in Dreck!

Erat pugna hominis, qui aestatem, cum alio, qui hiemem repraesentabat. Prior vicit. Quodsi nemo iis aliquid dabat, addebant:

⁷⁾ Plura ex his legimus apud Büschingium IV. pag. 166. 167., ubi de ritu illo, qualis in Silesia est, refertur, his verbis:

Kleene Fischel, kleene,
 Schwimmen uf em Teiche;
 Rothe Rosen, rothe
 Stehen uf em Stengel;
 Der Herr is schön, der Herr is schön,
 Die Frow is wie a Engel.

Wenn ihr uns was geben wollt,
So gebt uns alsobald;
Denn unsre Händ und Füße
Werden uns allzukalt.

Si nondum donum accipiebant, ita canebant:
Stamaus, Stamaus,

forsan pro: stamus, dialecto plebis in Wetteravia vel pro: Stab aus!
baculus huc portetur, quasi evaginetur.

Kehrt der Mad das Hëmd aus!

verberate eam pro mora.

Quod si nihil porrigebatur, his verbis abibant:

Stockfisch, Stockfisch!

Gibst mir alle Jahr nischt,

Wann ich kömm, so hast nischt.⁸⁾

Reperitur hoc carmen in Journ. v. u. f. D. 1784. I. p. 422. coll.
1788. II. p. 411.

Stab aus, Stab aus!

Schlagt dem Winter die Augen aus!

cecuisse pueros Oppenheimii in magno ducatu Hassiae die Dominic.
Laetare albos baculos, quibus infixi esset spira pistoria, lemniscis de-
coratos circumgestantes, deinde adolescentes duos hiemem aestatemque
repraesentantes, quorum alter (hiems) stramine, alter (aestas) hedera
velatus erat, ligneis gladiis pugnassee coram populo, denique hieme
victa ejusque veste straminea lacerata aestatem pompam duxisse ad
oppidi consulem et omnes pane similagineo, nucibus, vino, coctis pisis
et nummis donatos esse, narrat Eberhardt (Journ. v. u. f. D. 1784.
I. p. 282.—283.).

⁸⁾ Similis cavillatio illiberalium haec invenitur in Journ. v. u. f. Deutschl. 1787. II.
pag. 482.

Stecken wir den Sommer uf de Keller,
Kratzhals, Krummhals hat keinen Heller,
He gub uns gern ein Gröschle,
He hat euch keins im Täschle,

Spirae canere moris erat:

Tra, ri, ro!

Der Sommer der ist do!

Wir wolln 'naus in Garten,

Und wolln des Sommers warten.

Jo, jo, jo!

Der Sommer der ist do!

Tra, ri, ro!

Der Sommer der ist do! etc.

vid. Journ. v. u. f. D. 1787. II. p. 188. 189.

In Ottonis silva puellae coronis sertisque redimitae hoc cantu ver
annunciant:

Ja, ja, ja!

Der Sommertag ist da!

Er kratzt dem Winter die Augen aus

Und jagt die Bauern zur Stube 'naus.

Plerumque ibi ita canunt:

Heut ist Mitter-Fasten,

Da leeren die Bauern die Kasten.

Thun sie die Kasten schon leeren,

Gott will was Neues bescheeren.

Im Sommer da deihen die Früchte wohl,

Da kriegen sie Scheuern und Kasten voll.

Wo sind dann unsre Knaben?

Die den Sommertag helfen tragen,

Sie sitzen wohl hinter dem Wengertsberg

Und ruhn ihre zarte Haendlein aus;

Wir gehen jetzt in das Wirthshaus,

Da schaut ein Herr zum Fenster heraus,

Er schaut heraus und wieder hinein,

Er schenkt uns was ins Beutlein 'nein;

Wir wünschen dem Herrn ein goldenen Tisch,

Auf jedem Eck ein backenen Fisch,

Und mitten drein 'nein

Eine Kanne voll Wein,
Da kann der Herr recht lustig seyn.

Cfr. Büsching I. pag. 185. 186.

Imaginem mortis efferentes hunc fere in modum canunt:

Nun treiben wir den Tod auss
Dem alten Jöden in seinen Bauch,
Dem jungen in den Rücken,
Das ist sein Unglücke.
Wir treiben ihn über Berg und tieffe Thal,
Dass er nicht wieder kommen soll,
Wir treiben ihn über die Heyde.
Das thun wir den Schaeffern zu Leyde.

Domum revertentes et ramum aestatis afferentes haec cantu recitant:

Nun haben wir den Tod hinaus getrieben,
Und bringen den lieben Sommer wieder,
Den Sommer und auch den Meyen;
Der Blümelein sind mancherleyen.

Cfr. Büsching I. p. 183. 184.

Bohemi mortis imagine combusta haec canunt:

Giz ne sem smrt ze wsy,
Nowe leto do wsy.
Witey leto libezne,
Obiliczko zelene!
Jam mortem ferimus e pago,
Novam aestatem in pagum.
Salve amoena aestas,
Viride pullulans frumentum!

Cfr. Anton I. pag. 71.

Eadem paene est cantilena, qua Borussi gentiles veris initio Pro-
grubo idolo immolabant, hujus argumenti:

Tu propellis hiemem,
tu reducis vernum tempus,
per te virent agri, horti,
per te florent omnes silvae.

Vid. Journ. v. u. f. D. 1787. II. pag. 485.

Antiquissimum Bohemorum carmen ex promptuario Lusatico (Laus. Mag.) 1770. p. 85. discimus, sed tantum ejus initium. Habet ita:

Leez hore, leez hore,

Jatabate woko,

pan dele, pan dele!

Vola sublime, vola sublime, versa te, vel si pro woko legere licet: wokno, aperi fenestram, humi delabere, humi delabere!

Sed plura carmina, quae suppeditant ephemerides germ., Grimmus et alii, congerere non est hujus loci.

Dicunt, autem, hunc morem, de quo verba fecimus in alphabetici indicis verborum provincialium Lus. sup. parte XII. pag. 28—30., quem etiam commemorat Graeterus in Calendario palaeotheotisco christiano, (vid. Jdunna et Hermode, 1812. p. 41.), ex abolita idololatria ortum esse, Dlugossus (II. p. 94.) Matth. de Mechovia (II. 1. p. 22.) Mart. Cromer (III. p. 48.) et Alex. Guagninus (Sarm. Eur. descr. fol. 10. et rer. Pol. I. pag. 69.).

Narrant enim, anno post Christ. DCCCCLXV⁹⁾ ducem Poloniae Miecislaum, quum baptisinate initiatus esset, Silesiis Polonisque praecepisse, ut die VII. Martii idola in flumen dejicerent, atque in memoriam hujus rei morem illum exstitisse. Guagninus pro VII. Martii nominat septimum decimum, procul dubio secutus Calendarium Gregorianum, cujus dies septimus decimus seculo sexto decimo extremo congruebat cum die septimo Calendarii Juliani. Sed hoc in libro jam anno 1581. edito factum esse, mirum est, quoniam decem dies demum mense Octobri anni 1582. ejecti sunt. Eandem originem moris statuit Paulus

⁹⁾ Dobrowski in periculo veterem Bohemorum historiam rebus commenticiis purgandi, in commentariis Bohemicae societatis literarum tom. VI. ostendit, anno DCCCCLXV. quidem Dambrowcam sponsam Miecislai in Poloniam venisse, sed Miecislaum anno demum DCCCCLXVI. ad Christianam religionem accessisse. Ita etiam annum indicat Dresserus l. l. p. 53. et Schröckhius in hist. eccles. vol. 21. pag. 495. Perperam igitur solemnitas saecularia illius moris peculiari quadam concione sacra die Dom. Laetare anni 1765. celebravit Guilielmus Klose, sacrorum Curator apud Carschavienses in Silesia (vid. Journ. v. u. f. D. 1791. p. 1002.). Ceterum per uxorem Miecislaus ad religionem christianam adductus est.

Christianus Hilscher §. 26., qui adeo putat §. 6., vocem Tod in locutione: Tod austreiben non significare mortem, sed idolum Tot, Tuith, Thiot, Theod, Tud, Tod, Teuth, eandem Zeumer, et Eberlinus pag. 8., ubi de die Dominica Laetare ejusque nomine: Dominica Mortuorum agit, eandem Martinus Mollerus,¹⁰⁾ Dresserus (pag. 52.), et olim paene omnes, qui de hac re scripserunt. Probabile idem videtur Anonymo M. (hanc literam subscripsit) in schedis provincialibus Silesiae 1839., mense Martio pag. 273—275., qui refert, etiam hoc anno Vratislaviae die Domin. Laetare a mendicantibus pueris ver salutatum esse, sed id maxime laudat, quod a nonnullis catervis pro ineptis et fatuis cantilenis hymni religiosi populo probati cantati et modeste dona accepta sint, quod quidem imitandum commendat, ut ille mos ad pietatem et urbanitatem reducatur. Quod ut adjuvent, ludi magistros rogat. Videtur vero non ex eo ortus esse, quod Poloni doctrinae Christi se addixerunt, sed potius ex antiquissima aestatem salutandi ratione; neque quisquam me iudice originem rectius descripsit, quam de Hagen apud Büschingium I. p. 183., qui hoc festum ait esse reliquum antiqui, quod initio anni celebratum sit, et originis ethnicae, cui, ut multis aliis diebus festis, societas christiana aliam significationem dederit. Ex morte, quae hiemem repraesentabat, idolum fecit, quod ita perdat doctrina christiana, ut hiemem aestas. Quod vero ritus ille nulla alia die Dominica vernali celebratus est, quam ea, quae Laetare nomen habet, hoc propterea factum, quod nomen hujus diei sono simillimum est vocabulo slavico Leto, quod aestatem, deinde annum, quem ab aestate inceperunt, significat, vel

¹⁰⁾ In praxi Evangel. Domin. Laetare, cujus verba haec sunt: „daher kömmt die alte Gewohnheit, dass das junge Volk jährlich auf heute den Tod austreibt: d. i. sie richten einen greulichen Götzen zu, tragen ihn hinaus ins Feld, werfen ihn in Koth, oder in das Wasser, und lauffen eilend davon. Nachmals hauen sie ein Bäumlein abe, schmücken es fein, nennen es den Sommer, und bringen es mit fröhlichem Gesange wieder. Anzuzeigen, dass sie Gott danckbar seyn für das rechte Erkänntniss seines Nahmens. Ja dass sie sich freuen, dass sie Gott von den todten Wercken der heydnischen Abgötterey errettet, zum rechten Baum des Lebens, welcher ist Christus, geführt, und des ewigen Freuden-Sommers theilhaftig gemacht hat.“

quod ipsum nomen latinum ad laetitiam hortatur. In Bohemia haec mortis expulsio a Bohemis hoc ipso die, a Germanis vero ibi habitantibus die Domin. Judica celebrari solebat, quod in voce slavica causam delectus diei inesse, testimonio est.

Erant adeo, qui dicerent, Lutherum insignia Romani pontificis pueris deferenda dedisse in Albim, quum sacra religionis emendaret. Sed hoc tantum constat, eum ad exemplum cantilenae, qua mortem exterminant, similem fecisse, qua papam expelleret, a pueris canendam, quae quidem simul cum interpretatione latina (vid. Jo. Hechtii ecclesiodia p. 87.) in ephemerides de Germania Germaniae scriptas 1787. II. p. 192. 193. et in Krünitzii encyclopaediam oeconomicam technologicam, vol. LVIII. pag. 698. 699. recepta est.¹¹⁾

Sicuti autem multitudo existimabat, eo quod stramineum simulacrum aqua demergerent, se totamque civitatem per anni totius spatium incolumes tutosque fore a peste et aliis malis perniciosis: ita quoque, quum illud simulacrum aliquando Dresdae a pueris petulantibus in domo vetulae cujusdam clam ipsa collocatum esset, haec illo conspecto hoc anno sibi pereundum putavit, et furibunda omnium hominum fidem imploravit, teste Hilschero §. 11. Adeo si stramineum terriculum fenestris admoverent, ita, ut quae intus in domo essent, quasi intueretur, hoc instante anno aliquem in ea moriturum, praesagire existimabatur.¹²⁾

¹¹⁾ Vid. D. Martin Luther's letzter Gesang, zum Valet dem römischen Pabst gemacht für die Kinder zur Mitfasten, anstatt den Tod auszutragen, den leidigen Pabst aus der Kirche damit zu jagen. Reperiebatur ille cantus in libro: Geistliche Gesänge korrigirt durch M. L., Vitebergae 1525., et insertus est in Schamelii commentarium cantuum sacrorum evangelicorum, 1737. In latino carmine tria vocabula alia perhibet Krünitzius, alia Christ. Henr. Schmid. Ille dat versu 6: proseda, hic: pessima, ille v. 8.: lerna, hic: latra, fortasse latro, ille v. 16.: firmamen, hic: firmator. Similis est illius cantilenae imitatio, quam fecit Matthesius, in iisdem ephem. l. l. p. 193. 194. legenda.

¹²⁾ Hoc terriculum cum Judaeorum Lilitha, de qua conferendus est Seldenus de Diis Syris, Syntagm. II. cap. 2. pag. 251., cum Graecorum spectris *Άρρω* et *Άλ-
γρω* et Romanorum Manduco, quibus nutrices infantes plorantes terrere et de-

Quapropter etiam diram illam effigiem ad aniculas et Judaeos ablegare solebant, vel cantilena supra pag. 10. allata vel hac simili:

Nun treiben wir den Tod hinaus,

Den alten { Juden }
 { Weibern } in das Haus,

Den { jungen }
 { reichen } in den Kasten;

Morgen wolln wir fasten,

quae quidem ita in Hilscheri commentatione §. 10. in latinum sermonem translata est:

Ex urbe mortem pellimus,

Verpi fruatur aedibus,

Nummosque rodant verpulis;

Cras vivimus jejuniis.

Pro: rodant verpulis legunt alii: rufat divitis; vid. Journ. v. u. f. D. 1788. I. p. 571., ubi etiam haec adduntur:

Ex aedibus venustula

His prospicit puellula.

In nos favorem conferet

Nobisque munus offeret.

Quia hic Judaeorum fit mentio, quibus pueri mala precantur, de horum contemptu, qualis olim Christianorum fuit, verba facit Hilscher §. 11., et multa de hac re scripta commemorat, etiam M. Praetorium in saturnal. propos. 6. pag. 138. et prop. 14. p. 310. sq., qui illius rei monumentum in aede sanctae Mariae sacra Vitebergensi, quae vulgo aedes urbis nuncupatur¹³⁾, describit. Exstat enim sculptilis imago in ex-

mulcere solebant, comparat Hilscher §. 9. Sed iis non simile est. Quid fuerit לילית, satis a nobis expositum esse putamus in parte IX. nostrae comparationis librorum sacrorum V. F. et scriptorum profanorum graecorum latinorumque, (1827.) pag. 10—16.

¹³⁾ Hoc nomine opponitur aedi omnium sanctorum per Lutheri theses celebratae, quam vulgo aedem arcis, in qua olim Principes Electores Saxoniae habitabant, appellant.

teriore templi parte superiore, quae repraesentat suem, cujus ubera sugunt porcelli et plures Judaei. Magister Judaicus (Rabbinus) tollit dextrum suis pedem, et sinistra manu caudam, atque anum suis inspicit, quasi aliquid lecturus. Lutherus in libro de Schem Hamphoras jocatur, eum velle Schem Hamphoras ex culo suis cognoscere, h. e. magicam vocem, cujus ope mira fieri posse et adeo Mosen et Christum miracula edidisse dicebant Judaei, quam tamen omnes ignorant, quia Hierosolymis cum templo perdendis anno p. Chr. LXX. ejus cognitio periisse putatur, de qua igitur varia coniiiciunt.¹⁴⁾ Est vero שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ nomen bene explicatum, intelliguntque arcanam Dei appellationem, nonnulli duodecim literis constantem, triplici nomine יְהוָה, alii aliam. Salse et ingeniose Lutherus vocem eliso מ mutataם הַפְּרָשׁ interpretatur, i. e. stercus ibi est. Nam פֶּרֶשׁ denotat excrementa, faeces alvi. Cfr. scripta Lutheri, edit. Lips. 1733. tom. XXI. pag. 623. Plura de illa voce reperiuntur in Gersonis Jud. Talm. p. 236. seqq.

Contra magna cum laetitia recens nupta arborem crotalis conspicuam, crepundiis patellisque et supellectile id genus varia, quibus lepidissime miscebantur panni versicoloris segmenta, ornatam in aedibus suis excepit, quam ex more olim usitato secundum Hilscherum §. 17. Lipsiae puellae ei afferre solebant, quae res nominabatur: einen Meyen bringen, et hymni, quem canebant, hoc erat initium:

Wir bringen der Braut eine Meye,
Der Blümlein sind mancherleye.

Accesserunt laudes novorum conjugum et votum pro eorum incolumitate.

Ita quoque arborem vel ramum multis aureis argenteis variique coloris rebus decoratum, quem illo terriculo aqua merso, per urbis plateas portabant, cantu annunciantes, se aestatem apportare, fausti ominis causa bona quaeque inde sperantes ante fores recens nuptae, quae inter reliquas praecipua erat, relinquebant, quod ea praemiis remunerabatur, atque arbor terrae depacta denuo frondibus virens spem

¹⁴⁾ Commemoratur Lutherus proverbium germanicum de eo, qui temere magnam prudentiam prae se fert: ubi legit hoc? in suis podice.

fecit felicis conjugii. Aliis in regionibus illos ramos boni ominis causa infixerunt aedibus eorum, qui liberalissimi fuerant.

Erat adeo Lipsiae moris, quod ex Davidis Pfeifferi libro de originibus Lipsicis et ex Zach. Schneideri Chron. Lips. p. 443. cognoscere licet, ut impudicae mulieres in ganeis extra portam Hallensem una habitantes et antistitae ac legibus meretriciis subjectae mediis jejunii diebus (Mittfasten) imaginem e stramento ad similitudinem deformis viri conformatam longa pertica fixam circumgestarent, una ferente, reliquis comitantibus, carminibus pallidam mortem prosequentes, circumgestatam vero in Pardae flumen demitterent, quo quidem ritu oppidum se lustrare putabant atque id per anni tempus a pestilentia tutum praestare, atque uxoribus foecunditatem parare. Mentionem etiam facit Pfeifferus consuetudinis vetustorum Venetorum, qui simulacra Marzanae et Ziovoniae, per quas cum Cromero intelligit Cererem¹⁵⁾ et Dianam, contis infixae e vicis solenni pompa et lugubri carmine deportare atque in proximam paludem vel praeterfluentem amnem abjicere soliti sint.

Erant quoque, qui illo ritu indicari arbitrarentur, veterem hominem esse enecandum, et peccata opprimenda. Sed hi quod plane aliud habebat consilium, pio animo ad virtutis studium excitandum converterunt.

Quia vero ad eorum partes accessimus, qui hunc ritum antiquissimum et per religionem christianam non ortum, sed significatione sua mutatum esse judicant, his ita expositis nostrum est disserere de moribus antiqui temporis nostro ita similibus, ut ex iis enatus esse videatur.

Sunt autem tria, de quibus verba facienda sunt, de Argeorum projectione, de Chelidonismate Athenaei et de Eiresione Homeri.

Sicut recentiore tempore simulacra straminea vel lignea in aquam demitti solebant, ita apud veteres Romanos mos fuit, ut paullo post aequinoctium vernum Idibus Majis idola ad hominum similitudinem formata, triginta numero, de sacro ponte dejicerent in flumen Tiberis,

¹⁵⁾ Secundum Frenzelium de Diis Soraborum et Slavorum aliorum, Sect. II. cap. 29. in Hoffmanni scriptoribus rer. Lusatic. tom. II. pag. 222 sqq. et Schaffaricum (Geschichte der slav. Sprache p. 12.) Marzana fuit dea mortis. Sed dicit eam Frenzelius Marzavam pag. 223., et memorat p. 224., plerosque per Marzanam Venerem vel Cererem intelligere.

de quo ritu Dionysius Halicarnassensis (*Antiquitatt. Rom. I. 24. p. 30. ed. Sylburg.*) memoriae prodit, Aborigines Italiae Saturno humanas immolasse victimas, sicut Carthaginienses, quibus Saturni iram placarent, (et, quod propter tempus anni, quo factum, probabile censemus, pro reversa aestate gratum animum declararent,) Herculem autem, quum advenisset, hunc morem abrogasse, et ara in colle Saturnio condita auctorem fuisse, ut sanctae hostiae puro igne adolerentur, et ne quid ad religionem pertinens negligi videretur, eundem instituisse, ut ad iram dei leniendam pro hominibus, quos compedibus vinctos (*συμποδίζοντες*) et manibus inermes (*τῶν χειρῶν ἀκρατεῖς ποιοῦντες*) in Tiberim conjecerant, hominum imagines instar illorum ornatas in fluvium demitterent, ut, quicquid superstitiosi timoris (*ὄττειας*) in animis multitudinis haereret, extirparetur antiqui ritus imaginibus servatis. Quod quidem Romanos ad sua usque tempora Idibus Majis facere solitos esse, Dionysius refert. Scripsit forte anno ante Christum octavo. Sic factum, ut sacris rite peractis pontifices, sacerdotum praestantissimi et cum his virgines immortalem ignem custodientes (Vestales), praetores et reliquorum civium, quos interesse sacrificio fas esset, simulacra in fluvium Tiberim praecipitarent, quae Argeos nuncupabant (*Ἀργεῖους αὐτὰ καλοῦντες*). Argei vero appellabantur quaedam Romae loca, in quibus sepulti esse dicebantur Argivorum viri illustres, qui cum Hercule Argivo advenerant. Livius (I. 21.) multa sacrificia locaque sacris faciendis, quae Argeos pontifices vocarent, dedicata esse a Numa Pompilio narrat. Deinde erant imagines hominum e scirpeis virgultis factae, quae de ponte sublicio a sacerdotibus vel, ut scribit Festus (vid. Lindemanni corpus grammat. latin. vet. tom. II. p. 14. coll. p. 259. et p. 322.), per virgines Vestales annis singulis in Tiberim jaciebantur. De hac re consulendus est Varro de lingua latina lib. VI. ed. Bipont. 1788. p. 90., qui ita eam exponit: „Argei dicuntur ab Argis. Argei fiunt e scirpeis virgulteis, simulacra sunt hominum triginta: ea quotannis a ponte sublicio a sacerdotibus publice jaci solent in Tiberim.“¹⁶⁾

¹⁶⁾ Pertinet eo etiam ver Marti sacrum (Liv. XXII. 9. 10. XXXIV. 44.). Immolabantur enim pecora, quae nata essent inter Cal. Martias et pridie Cal. Majas, ergo mense

Ovidius in Fastis lib. V. v. 621. 622. ita dicit:
 Tum (Idibus Majis) quoque priscorum virgo simulacra virorum
 Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Etiam de caussis hujus moris quaedam, sed dubia, affert v. 623. et 624. Olim, ait, sexaginta annorum senes neci missos esse, unde illud Ciceronianum explicandum est (pro Sex. Rosc. Amer. cap. 35.): „quem contra morem majorum minorem annis sexaginta de ponte in Tiberim dejecerit.“ Manilius Aborigines hominem sexaginta annorum Diti Patri quotannis immolare solitos esse, memoriae tradit, id quod facere cessaverint, quum advenisset Hercules. Vid. Lindem. corp. gramm. II. p. 259.

Ovidius (Fast. V. v. 633. 634.) hoc rei consilium proponit:

Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli,
 Pontibus infirmos praecipitasse senes.

Alii narrant, morante in Italia Hercule quosdam ejus comites habitasse in ripa Tiberis, eorumque ut recoleretur memoria, quendam Argaeum a gente graeca legatum eo missum; qui quum obierit diem supremum, effigiem scirpeam per flumen ac mare in patriam remissam esse. Hanc rem paullo aliter his versibus exponit Ovid. v. 651.—660.:

Martio et Aprili. Quae fuerit inter hoc institutum et inter Argeorum projectionem similitudo, imprimis patet ex iis, quae Paulus Diac. excerpit ex Festi de signific. verb. libris (Lindemanni corp. gram. lat. vet. II. p. 161.). Sunt vero haec: „magnis periculis adducti vovebant, quaecunque proximo vere nata essent apud se animalia (ergo etiam infantes) immolatueros. Sed quum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam aetatem velabant atque ita extra fines suos exigebant.“ Sic Galli abundanti multitudine, quum eos non caperent terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quaerendas velut ver sacrum miserunt. Just. XXIV., 4. Cfr. Plin. hist. nat. III. 18. et Dionys. Halicarn. I. 12. p. 13. et II. 58. pag. 77., ubi coloniae conditae esse narrantur a juventute diis consecrata. A Sabinis hunc morem repetunt. Hi enim quum infeliciter contra Umbros pugnassent, vovebant, se, si vincerent, τὰ γυνόμενα τῷ ἔτι τοῦτω diis consecraturos esse. Quum vicissent, et praeter liberos anni proventum diis dicassent, sterilitate orta aliquis monuit, etiam liberos esse consecrandos. Hos igitur Marti dicabant, et adultos postea ad condendam coloniam emiserunt. Sic narrat Strabo lib. V. ed. Casaub. 1587. pag. 172. Sacrani (Virg. Aen. VII. 796.) secundum Servium sunt Ardeates, qui, (vel, ut rectius Heynius, quos parentes) aliquando, quum pestilentia laborarent, ver sacrum voverunt.

Magnaue pars horum desertis venerat Argis:

Montibus his ponunt spemque Laremque suum.

Saepe tamen patriae dulci tanguntur amore;

Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:

Mittite me Tiberi, Tiberinis vectus ut undis

Littus ad Inachium pulvis inanis eam.

Displicet heredi mandati cura sepulcri:

Mortuus Ausonia conditur hospes humo,

Scirpea pro domino Tiberi jactatur imago,

Ut repetat grajas per freta longa domos.

Alii arbitrantur, urbe a Gallis liberata ob inopiam alimentorum sexaginta annorum senes in Tiberim jaci coeptos esse, tum aliquem filii pietate occultatum per hunc, qui eum rebus civitatis dubiis consulere, et quae suaderet, ad populum suo nomine deferret, civitati bonis consiliis adfuisse, qua re cognita sexagenariis vitam concessam esse, lateras autem, quibus arcuerit¹⁷⁾ senem, esse Argaea appellatas. Ovidius rem ita exponit: falcifero seni (i. e. Saturno) duo corpora fuisse mittenda Tuscis excipienda aquis secundum oraculum, quod Dodonaeum fuisse ex Macrobio (saturnal. l. 7.) discimus, quem ritum peractum esse dicit Ovidius v. 629.

Donec in haec venit Tirynthius (Hercules) arva, quotannis;
et addit v. 631. 632:

Illum stramineos in aquam misisse Quirites.

Herculis exemplo corpora falsa jaci.

Oraculum Macrobius ita perhibet:

καὶ κεφαλὰς Ἄδη καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Herculem, pergite, suasisse posteris, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, offerentes Diti non hominum capita¹⁸⁾, sed oscilla ad humanam

¹⁷⁾ Apud Festum in fragmentis de verborum significatione (ed. Lindemanni II. pag. 259.) legitur: arguerit, et: Arcaea pro: Argaea.

¹⁸⁾ Ita Numa pro hominum capitibus in fulgurum procuratione caeparum capita dedit, Ovid. Fast. III. 340., ita quoque Junius Brutus Tarquinio Superbo pulso pueris, qui Maniae deae, matri Larum mactari solebant, quoniam Apollo capitibus supplicandum esse dixerat, capita allii et papaveris substituit. Macrob. l. 1.

effigiem arte simulata, et aras Saturnias non mactatis hominibus, sed accensis lucernis colentes, quia ὁ φῶς hominem, τὸ φῶς lumen significat. Idem (saturnal. I. 11. fin.) ita rem enarrat: „Epicadus refert, Herculem occiso Geryone, quum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc sublicius dicitur, ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demisisse, ut aqua secunda in mare devecta pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur, et inde usum talia simulacra fingendi inter sacra mansisse.“ Ceterum de Argeis etiam exponit Andreas Cirino in libro de urbe Roma ejusque rege Romulo, cap. 51. 631. (vid. Alberti Henrici de Sallengre nov. thes. antiquitatt. Rom. tom. II. pag. 577. 578.)

Quum vero ritus Romani conspicua sit similitudo cum ritus nostri temporis priore parte, ut ex illo haec exorta esse videatur, etiam alterius partis, qua priore peracta aetatem salutantes et ramo ornato mendicantes stipemque colligentes carmina canebant, manifesta deprehenditur similitudo cum antiquissimo Rhodiorum more, qui cantilena aliqua primam hirundinem advenientem salutare solebant, quacum Horatius (Epist. I. 7. 13.) se Maecenatem revisurum esse dicit, ita veris tempus designans. Vocabatur illa stipem colligendi ratio *χελιδονίζεω*, hirundinare, quod quidem verbum proprie vocem hirundinis significat, unde cantilena, qua pueri hirundinem circumferentes eamque veris nuntium salutantes, edulia rogare solebant, *χελιδόνισμα* appellata est, et *χελιδονισταί* dicti, qui ejusmodi carmen decantarent et stipem rogarent. Est vero ejusmodi carmen ab Athenaeo (Deipnosophist. VIII. 15. pag. 360.) nobis exhibitum hoc:

ἦνθ', ἦνθε χελιδὼν,
καλὰς ὄρας ἄγουσα
καλοὺς ἐμμαντοὺς,
ἐπὶ γαστέρα λευκά,
5 ἐπὶ νῶτα μέλαινα.
παλάθων σὺ προκύκλει
ἐκ πίονος οἴκου,
οἴνου τε δέπαστρον,

τυροῦ τε κίνιστρον.
 10 πυροῶνα χελιδών,
 καὶ τὸν λεκιθίταν
 οὐκ ἀπωθεῖται. πότερ' ἀπίωμες; ἢ λαβώμεθα;
 Εἰ μὲν τι δώσεις· εἰ δὲ μὴ, οὐκ ἐάσομες,
 ἢ τὰν θύραν φέρωμες, ἢ τὸ ὑπερθυρον,
 15 ἢ τὰν γυναῖκα τὰν ἔσω καθήμεναν
 μικρὰ μὲν ἐστὶ, ῥαδίως μὲν οἴσομες.
 Ἄν δὴ φέρῃς τι, μέγα γε δὴ τι καὶ φέροις.
 Ἄνοιγ', ἀνοιγε τὰν θύραν χελιδόνι.
 οὐ γὰρ γέροντες ἐσμέν, ἀλλὰ παιδία.

Versus sunt anapaestici monometri hypercatalectici, quos excipit trochaicus tetrameter, et jambici trimetri. Olim hoc carmen numeris ionicis scriptum esse putabatur. Sic Car. Dav. Ilgenius in opusc. var. philol. vol. I. commentatione IV. pag. 129—184., qua Eiresionen Homeri et alia poëseos mendicorum graecorum specimina cum nonnullis nostri temporis carminibus ex hoc genere comparata cum viris hujus rei peritis communicavit, metrum nostri carminis esse dixit ion. a maj.¹⁹⁾

¹⁹⁾ Metrum l. l. ita describit: recipit praeter ionicos etiam paeones secundos et propter ultimae syllabae ambiguitatem epitritos tertios et dijambos, et per contractionem ionicis et paeonis secundi molossos (choriambos, si in medio duae breves syllabae uni longae substituuntur,) et bacchios, deinde loco ionicis numeri ditrochaeos, et qui his pares sunt, epitritos secundos et quartos, veros illos et solutos, et dispondeos; sed non admittit pro trochaeo dactylum, et pro ditrochaeo duplicem anapaestum, anapaestum cum tribracho aut spondeo, spondeum cum anapaesto aut tribracho, quoniam dactylo sive in prima sive in secunda sede recepto solutio longae syllabae loco brevis positae numeri legibus adversaretur, adeoque, si dactylus primam sedem teneret, redundaret aut longa aut brevis syllaba, quoniam choriambus, h. e. solutus molossus numerum jam expleret, et si duplex anapaestus intraret, longa syllaba ex ionico ab initio soluto, si anapaestus cum tribracho, brevis syllaba ex ionico ab initio soluto, si anapaestus cum spondeo, longa syllaba e molosso ex initio soluto, si spondeus cum anapaesto, longa syllaba ex ionico vero, si spondeus cum tribracho, brevis syllaba ex ionico vero supervacua numerum turbaret. Ceterum cujus interest hoc metrum accuratius nosse, is adeat Gfr. Hermannii Elementa doctrinae metricae, Lips. 1816. pag. 438—463. lib. II. cap. 37.

dimetrum brachycatalecticum, et quum tale carmen versus ejusdem longitudinis habere, necesse esse existimaret, metri hujus sustinendi causa ad dialecti licentiam hic illic ei confugiendum erat; καλοῦς pronunciari jussit καλὸς, ut apud Theocrit. I. 90. τὰς παρθένους, ἀπωθεῖται legebat pro ἀπωθεῖται, ac versum a conjunctione δὲ incepit. Sed quum Godofr. Hermannus ὁ πόνυ (de metris poët. graec. et rom., Lips. 1796.) his mutationibus non opus esse monuisset, quia versus ionici a majore variae longitudinis esse queant, Ingenius (libro laud. pag. 180. seqq.) carminis compositionem, qualem fecerat, ipse improbavit, et Hermannum secutus aliam dedit parum recedentem ab ea forma, qua Schweighäuseri editio Athenaei, 1803. cantilenam dat. At postea Hermannus ipse intellexit, et in Elementis doctrinae metricae 1816. pag. 461. fassus est, se errasse, quum carmen illud numeris ionicis scriptum esse censeret, atque ad versum duodecimum usque ita disposuit, ut nos descriptum exhibuimus. Inde a versu tertio decimo, ubi trimetri jambici incipiunt, carmini, ut nobis videtur, posteriore demum tempore additi, dedimus versus Schweighäuseri. Hermannus hos omisit.

Sed interpretatio cantilenae in aliud tempus differenda est, quo etiam de Eiresione nos verba facturos esse speramus, quoniam scriptionis limilibus circumclusi eam nunc addere non possumus. Hoc unum adjicere liceat, nobis offensionem esse, quod ab Athenaeo proditum legimus, illam cantilenam cani solitam esse mense Boëdromione (ὃ γίνεται τῷ Βοηδρομιῶνι μηνί). Quare quum pro hoc mense codex Jacobi Dalechampii legerit Μουνιζῶνι, quod Dalechampius latine interpretatus est: Martio mense, quanquam non plane accurate, quin hanc lectionem probemus, nobis temperare non possumus, quamvis, si unius codicis est, ab aliquo orta esse videtur, qui id, quod scriptum invenit, emendandum censeret. Nam si haec est mensium atticorum et graecorum ratio hicque ordo, quem Theodorus Gaza (vid. Gronovii thes. antiqu. graecarum IX. pag. 983. seqq.) et Idelerus (hist. Untersuchungen über die astronom. Beobachtungen der Alten, Berol. 1806. p. 197. 198.) secundum Petavium et Corsinium dat, annus, sive inchoatus sit a solstitio brumali, quae est sententia Scaligeri (de emendatione temporum lib. I. pag. 41. l. II. pag. 68.), sive a solstitio aestivo, quod Th. Gaza

statuit, menses hiemales (*μῆνας χειμερινούς*) habet Gamelionem triginta, Anthesterionem undetriginta, Elaphebolionem triginta, menses verna-
les (*μῆνας ἐαρινούς*) Munychionem undetriginta, Thargelionem triginta, Scirophorionem undetriginta, menses aestivos (*μῆνας θερινούς*) Hecatombaeonem triginta, Metageitnionem undetriginta, Boëdromionem tri-
ginta, menses denique auctumnales (*μῆνας ὀπωρινούς*) Maemacterio-
nem undetriginta, Pyanepsionem triginta, ac Poseideonem undetriginta
dierum, qui duodecim menses annum lunarem trecentorum quinquaginta quatuor dierum efficiunt, et biennio quoque per alterum mensem Poseideonem viginti duorum dierum ita complebantur, ut duplici anno so-
lari responderent. Quod si haec est mensium ratio: non intelligimus, quo-
modo mense Boëdromione, qui secundum nostram computationem ²⁰⁾ altero anno dies a prid. Id. Sept. usque ad V. Id. Oct., altero a Cal. Sept. usque ad prid. Calend. Oct. complectitur, hirundo adveni-
ens salu-
tari potuerit, quod quidem magis convenit mensi Munychioni, qui in-
cipiens altero anno VII. Id. April. finitur III. Non. Maj., altero dies
a XIV. Cal. Maj. ad XVII. Cal. Jun. continet, magis adeo Elaphebolioni,
partem Martii et Aprilis comprehendenti.

Neque id rem mutat, quod secundum Gazam Anthesterion post Pyanepsionem numeratur, ergo mensis ultimus auctumnalis, secundum Petavium alter hiemalis est. Nam Boëdromion manet postremus mensis aestatis, et Munychion primus veris.

²⁰⁾ Fundamentum ejus est opinio Scaligeri, Metonem primum diem Hecatombaeonis fecisse Idus Jul., de qua re vid. Idelerii lib. laud. pag. 207. 208., et, quam secuti sumus, dieteris haec est:

Annus prior.	Elaph. Mart. 8. — Apr. 6.	Pyan. Oct. 30. — Nov. 28.
Hecat. Jul. 15. — Aug. 13.	Mun. Apr. 7. — Maj. 5.	Pos. I. Nov. 29. — Dec. 27.
Metag. Aug. 14. — Sept. 11.	Tharg. Maj. 6. — Jun. 4.	Pos. II. Dec. 28. — Jan. 18.
Boëdr. Sept. 12. — Oct. 11.	Scir. Jun. 5. — Jul. 3.	Gam. Jan. 19. — Febr. 17.
Maem. Oct. 12. — Nov. 9.	Annus alter.	Anth. Febr. 18. — Mart. 18.
Pyan. Nov. 10. — Dec. 9.	Hecat. Jul. 4. — Aug. 2.	Elaph. Mart. 19. — Apr. 17.
Pos. Dec. 10. — Jan. 7.	Metag. Aug. 3. — Aug. 31.	Mun. Apr. 18. — Maj. 16.
Gam. Jan. 8. — Febr. 6.	Boëdr. Sept. 1. — Sept. 30.	Tharg. Maj. 17. — Jun. 15.
Anth. Febr. 7. — Mart. 7.	Maem. Oct. 1. — Oct. 29.	Scir. Jun. 16. — Jul. 14.

Verum jam id nobis agendum est, cujus causa haec scripsimus. Invitandi enim sunt omnes omnium ordinum fautores Gymnasii, ut crastino die sollemnia Rudolpho Ferdinando Libero Baroni a Sylverstain et Pilnickau sacra a nobis agenda sua praesentia concelebrare velint, quorum quidem hic erit ordo:

Primum nos ipsi memoriam Viri de nostro Gymnasio meritissimi cum memoria Collegae aestimatissimi nuperrime defuncti recolemus, quid mortuorum memoria nos moneat, exponentes. Deinde tres juvenes, qui beneficiis Sylverstainianis fruuntur, priores duo primae classi, postremus quartae adscriptus, orationes, quas ipsi confecerunt, recitabunt:

Samuel Julius Rudolphus Kadelbach, Gorlicensis, de causis, cur juvenis libertatis amorem coërcere debeat,

Carolus Henricus Benjamin Neumann, Zircavia-Sprotaviensis, de actorum temporum laudatione non probanda,

Tobias Godofredus Hermannus Krause, Wachsdorfio-Saganus, de argumentis laboris studium commendantibus.

Prima et quarta oratio patrio, mediae latino sermone habebuntur.

P. P. die XVIII. Junii MDCCCXXXIX.

Emendanda.

- pag. 5. lin. 17. lege Idunna pro Jdunna.
 - 11. - 13. - Idunna - Jdunna.
 - 16. - 28. - Idibus - Jdibus.
-